


Google

BIBLIOTHECA
SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMA...
TEVBN...

HIEROCLES
SYNECDEMVS

EDIDIT

A. BVRCKHARDT

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE



OTTO HARRASSOWITZ
BUCHHANDLUNG
LEIPZIG

Hierocles, grammarian

HIEROCLIS

SYNECDEMVS

ACCEDVNT
FRAGMENTA APVD CONSTANTINVM PORPHYROGENNETVM
SERVATA ET NOMINA VRBIVM MVTATA

RECENSVIT

AVGVSTVS BVRCKHARDT

LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

MDCCCXCIII

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI

HENRICO · GELZER

PRAECEPTORI · AMICO

D · D · L · M

AVGVSTVS · BVRCKHARDT

Hieroclis grammatici synecdemo inde a XVII saeculo viri docti operam dederunt et prae ceteris Petrus Wesselingius, vir eximiae doctrinae, commentario doctissimo addito, optime de eo meritus est. Neque tamen in verbis contextus constituendis ea qua par est diligentia usi sunt; librorum enim scriptorum parum rationem habuerunt. Lucas Holstenius, cuius praecipue verbis etiam quae nunc exstant editiones nituntur, Vaticanum secutus est librum, adiectis duorum aliorum variis lectionibus eisque selectis. Wesselingius codicem Leidensem addidit, qui magni non aestimandus est. Atque qui nuperrime synecdemum publici iuris fecit, Gustavus Parthey, duobus usus est libris, Taurinensi et Bruxellensi, quos exscribere prioribus editoribus non licuit. Quae cum ita sint, Hieroclis synecdemum iterum edere suscepi atque id mihi propositum fuit, et libros quibus veteres editores usi sunt omni diligentia excutere et novos, si fieri liceret, investigare. Quae res sane molesta est. Exhibent enim synecdemum libri qui dicuntur miscellanei; accedit quod saepenumero titulus nomen auctoris praebens a librariis omittitur, ita ut qui librorum scriptorum indices confecerunt plerumque Hieroclem, una cum notitiis ecclesiasticis descriptum, praeterirent; quamobrem permulti eius indolis codices inspiciendi erant. Saepe spes me fefellit; nonnumquam vero res prospere cessit, ita ut codicibus ab editoribus prioribus adhibitis novos quosdam, adhuc incognitos, addere mihi contingeret.

Iam vero, cum Constantinus Porphyrogennetus in libro quem de thematibus imperii Romani composuit,

permulta ex Hierocle deprompta vel ad verbum vel paullo liberius exscripsisset, atque cum intellegerem, viri X post Chr. n. saeculo florentis testimonium ad verba Hieroclis recte constituenda magni faciendum esse, duobus Constantini libris inspectis imperatoris verba appendicis vice Hieroclis editioni addere apud animum statui, ita ut lector firmo quodam ac stabili fundamento in iudicio faciendo nitatur.

Sed iam ad librorum descriptionem transeamus. Codices quibus in adornanda Hieroclis editione usus sum hi sunt:

I. codex Taurinensis (T) bybliothecae universitatis regiae B. II. 26 (olim CV. c. IV. 21), saeculi XII, membranaceus, in folio, foliorum 510. Scriptus est liber ternis vel quaternis columnis; scriptura est nitida, nonnumquam pallore affecta; litterae rubro pictae non inveniuntur. Exhibet codex Hieroclis fere tertiam partem, quae legitur a folio 508^{v} usque ad folium 510^{r} (versus Wesselingii, quos recepit Parthey, 631. 1—659. 12 atque iterum v. 729. 3—734. 4; post fol. 509 nonnulla enim exciderunt folia). In fine opusculi occidentis provinciarum nomina breviter adiecta inveniuntur (v. 734. 6—16). Duae distinguuntur in contextu scriptorum manus, quarum altera accentus tantum scripsit haud raro omissos antea. Antecedit synecdemo a folio 506^{v}: '*Τάξις προκαθέδρας μητροπολιτῶν*'; sequuntur principalium fluviorum nomina. Primus hunc codicem Gustavus Parthey bis excussit atque ad editionem suam adornandam adhibuit. Sed cum de locis haud paucis dubium remaneret, benigne in meum usum Ioannes Tschiedel Taurinensem librum cum editione Partheyana contulit. Atque codicis iteratum examen haud spernendam contextui constituendo utilitatem attulit; permultis enim locis Parthey vel codicis varias lectiones adnotare omisit, vel non recte quae in libro scripta sunt perspexit.

II. codex Farnesinus (F), iam Neapolitanus LXVIII,

saeculi XII vel XIII, membranaceus, in folio, 295 foliorum. Continet a folio 283^r usque ad fol. 288^v integrum Hieroclis synecdemum (v. 631. 1—734. 4 editionis Partheyanae). Iterum adiciuntur in appendice occidentalium provinciarum nomina (v. 734. 6—16). Antecedit a folio 279^r: 'Τάξις προκαθέδρας μητροπολιτῶν'; sequuntur principalium fluviorum nomina. Nominibus Aegyptiarum Libycarumque urbium in ω exeuntibus ι litteram adscribere solet librarius, velut κυνῶι, λεοντῶι, ἀφροδιτῶι, ἀντιφρῶι. Quae forma cum nominativis in ις et ης exeuntibus, ex ablativis Latinis ortis, componenda est; cfr. Georg. Cypr. ed. H. Gelzer p. 94. Hunc quoque codicem comiter in meum usum Ioannes Tschiedel cum editione Partheyana contulit.

III. codex Coislinianus CCCXLVI (C), olim Seguerianus LXXV, saeculi XIII, chartaceus (qui vulgo bombycinus dicitur), in folio, foliorum 306. Continet a folio 302^v usque ad folium 305^r Hieroclis synecdemum, tamen quattuordecim postremis provinciis atque inscriptione mutilum (v. 631. 3—715. 6). Scriptus est ternis columnis; vocabulum 'ἐπαρχία' metropoleonque litterae initiales minio rubro scriptae sunt. Antecedit a fol. 299^r: ''Ανακεφαλαίωσις τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν'; sequitur symbolum fidei a metropolitis subscriptum. Lutetiae Parisiorum codicem cum Partheyi editione contuli.

IV. codex Vaticanus-Ottobonianus CLXXX (O), olim Altempsianus, saeculi XIII vel XIV, in octavo, foliorum 134. Continet a fol. 21^r usque ad fol. 27^v Hieroclis opusculum; desiderantur tamen inscriptio atque quattuordecim postremae provinciae. Exhibet igitur codex versus 631. 3—715. 6. Antecedit a folio 17^v: 'Η τάξις τῶν μητροπολιτῶν'; sequitur usque ad fol. 34^v: 'Διονύσιος μόναχος κ. τ. λ.' Huius codicis collationem cum editione Partheyana factam Ioannis Tchiedel debeo comitati.

V. codex Monacensis DX (M), olim Augustanus CXIX, saeculi XIV, chartaceus (bombycinus), in quarto, foliorum 387. Exstat Hieroclis synecdemus, inscriptione quidem atque quattuordecim postremis provinciis mutilus (v. 631. 3—715. 6), a folio 364ʳ usque ad fol. 367ᵛ. Paginae quaternis columnis scriptae sunt; tituli atque urbium nominum litterae initiales rubro pictae sunt. Antecedit a folio 301ʳ: '*Τάξις προκαθέδρας μητροπολιτῶν*'; sequitur: '*Ἡ περὶ τῶν θεοφιλεστάτων μητροπολιτῶν καὶ ἀρχιεπισκόπων συνήθεια*'. Hunc codicem, adhuc neglectum, benignissime Monacensis bybliothecae praefecti Ienam transmiserunt, ubi eum cum Partheyana contuli editione.

VI. codex Vaticanus CLXII (V), saeculi XIV, chartaceus, in octavo, foliorum 106. Continet Hieroclis librum, inscriptione ac quattuordecim postremis provinciis mutilum (v. 631. 3—715. 6), a folio 88ᵛ usque ad folium 91ᵛ. Antecedit a folio 86ᵛ: '*Ἡ τάξις τῶν μητροπολιτῶν*'; sequuntur usque ad finem eadem fere quae leguntur in codice Monacensi: '*Ἡ περὶ τῶν θεοφιλεστάτων μητροπολιτῶν καὶ ἀρχιεπισκόπων συνήθεια*'. Hunc quoque codicem contulit cum editione Partheyana in meum usum Ioannes Tschiedel.

VII. codex Parisinus suppl. graec. DCLXII (P), saeculi XIV, chartaceus, in octavo, in fine mutilus. Constat 275 foliis. Hieroclis synecdemus legitur a folio 273ᵛ usque ad finem (v. 631. 3—698. 6). Desiderantur inscriptio atque novem et viginti postremae provinciae. Paginae, quinis columnis scriptae, a vermibus ita corrosae sunt, ut saepe verba vel verborum partes desiderentur. Provinciarum nomina rubro olim picta ita pallore affecta sunt, ut difficillime legantur. Antecedit a folio 271ʳ: '*Τάξις προκαθέδρας μητροπολιτῶν*'. — Haud raro inveniuntur in hoc codice lectiones in rasura scriptae, quas emendandi studio deberi perspicuum est, velut quae exstant in v. 631. 3: *ἐπαρχίαι ν̅α̅* pro *ξ̅δ̅* ut reliqui omnes praebent codices; ex eadem

re concludere nobis licet, explicuisse librum post nomen urbis *Τύρος* (v. 715. 6). Similiter in v. 635. 3: *πόλεις δ* pro *ε̄*; desideratur enim urbs *Διόσπολις* (v. 635. 8). Saepenumero librarius verba quae ex exemplo descripserat, suo arbitrio correxit, velut in v. 643. 9: *βοε καὶ δρΰμύα*, v. 646. 8: *σΰκύων*. Ac frequentissime: *κονσΰλάριον*. Comiter bybliothecae Parisinae praefecti codicem Basileam transmiserunt, ubi eum cum Partheyi editione contuli.

VIII. codex Berolinensis regius (B), e bybliotheca Meerman. cod. Phillips. 1640, miscellaneus, a diversis manibus saeculis XV—XVII conscriptus — Hieroclis vero contextum optime saeculo XVI addices —, chartaceus, in quarto. Constat liber 68 foliis, quorum nonnulla vacua sunt numeroque carent. Legitur synecdemus a folio 20[r] usque ad fol. 24[r]. Desiderantur inscriptio atque quattuordecim postremae provinciae (continentur igitur in libro vv. 631. 3—715. 6). Paginae ternis columnis scriptae sunt; scriptura est nitida; tituli, numeri, urbium litterae initiales rubro pictae sunt. Saepenumero rubricator supra litteras initiales, etsi voces consonantes erant, spiritum posuit; saepe litteras eas scribere omisit. Antecedunt synecdemo tria folia vacua. Posterioris aetatis vir quidam doctus haec adnotavit in pagina quae novissima Hierocli antecedit: 'auctor sequentis opusculi Hierocles grammaticus de quo Constantinus imp. libro II thematum c. I: *Μαρτυρεῖ δὲ τῷ λόγῳ καὶ Ἱεροκλῆς ὁ γραμματικὸς ὁ γράψας τὸν συνέκδημον κ. τ. λ.*' Atque in margine inferiore: '*Ἱεροκλέους γραμματικοῦ συνέκδημος*'. Sequitur a fol. 24[r]: '*Πελοποννήσου θέσις ἤγουν τῆς αὐτῆς παραθαλασσίας*'. Codicem, Oscarii Streicheri sollertia repertum, benignissime Berolinensis bybliothecae praefecti Basileam transmiserunt, ubi eum cum Partheyi editione contuli.

IX. codex Bruxellensis CCIƆƆMMMMCCLV (H), e libris Davidis Hoeschelii Augustani, sub finem sae-

culi XVI conscriptus, chartaceus, in quarto, decem tantum foliorum. Continet a folio 4ᵛ usque ad finem libelli Hieroclis synecdemum, inscriptione tamen omissa (v. 631. 3—734. 5). Paginae tripertitae sunt; scriptura est nitida; litterae rubricatae nullae sunt. Nonnumquam provinciarum latina quoque nomina in margine adscripta inveniuntur. Antecedit a folio 1ʳ: '*Τάξις προκαθέδρας μητροπολιτῶν*'. Cuius codicis collatione a Carolo Hopfio facta usus est Gustavus Parthey in editione sua. Ipse Bruxellam profectus iterum librum contuli. — Quamquam non dilucide dictum est, tamen non dubito quin ipsius Hoeschelii manu scriptus sit codex Bruxellensis. Primum enim temporum ordo huic sententiae favere videtur; deinde eadem manu scripta esse mihi videntur et contextus et quae latine in margine atque inter columnas postea adiecta sunt. Constat praeterea, verba in initio posita: 'e libris Davidis Hoeschelii A.' et latina provinciarum nomina eadem manu atque eodem atramento scripta esse. Confirmatur haec sententia eo, quod codex DLVI, nunc Monacensis, olim Augustanus, qui ipse e libris Davidis Hoeschelii est, eadem manu scriptus est ac codex ille Bruxellensis.

X. codex Leidensis (L), e bybliotheca atque manu ipsius Bonaventurae Vulcanii scriptus, ut aperte notatur in argumento, numero VII notatus, e fine saeculi XVI, chartaceus, in folio, 67 foliorum. Invenies Hieroclis opusculum, iterum inscriptione omissa, a folio 54ᵛ usque ad fol. 57ʳ (v. 631. 3—734. 5). Versus continui scripti sunt; scriptura est nitida; litterae rubricatae nullae inveniuntur. Antecedit a folio 53ʳ: '*Τάξις προκαθέδρας μητροπολιτῶν*'; sequuntur latina nomina et earum quae in synecdemo continentur urbium et earum quae in antecedenti illo ordine praesidentiae metropolitarum leguntur. Primum in usum Petri Wesselingii, qui anno post Chr. n. MDCCXXXV synecdemum edidit, Sigebertus Havercampius Hieroclis librum ex

hoc codice exscripsit. Bybliothecae Leidensis praefecti, quae est eorum comitas, librum Ienam transmiserunt, ubi eum diligenter contuli. Postea vero, cum de nonnullis rebus ambigerem, Lugdunum Batavorum profectus iterum codicem inspexi.

XI. codicis Romani Barberiniani fragmentum (R). Notatur: cl. IV. 22, saeculi est XVII. Constat undecim foliis formae minoris, una tantum pagina scripturam continentibus. Manus est Holstenii, sed unde sumpserit apographum ipse non indicat. Continet duodecim primas synecdemi provincias (v. 631. 1—652. 2). Saepissime in posterioribus versibus urbium nomina non adscribuntur, sed prima tantum nominum littera apponitur. Quem codicem, a Theodoro Mommsenio in bybliotheca Barberiniana repertum, accurate descripsit Augustus Reifferscheid; meum in usum Ioannes Tschiedel denuo eum cum Partheyana contulit editione.

Nuperrime demum inveni, Hierosolymis quoque Hieroclis synecdemum servari, quem ad editionem meam adornandam adhibere mihi non licuit; exstat vero in codice graec. bybliothecae patriarchicae XXXIX (saec. XII—XIII, membranac.), fol. 200r. Inscriptio desideratur; utrum integer liber an mutilus sit postremis provinciis, ignoro.[1])

Breviter nunc de synecdemi editionibus disputabimus.

Editionem principem, Hieroclis nomine omisso, e codice quodam Vaticano sumptam et quattuordecim postremis provinciis mutilam dedit Carolus a Sancto Paulo in 'Geographia sacra' anno post Chr. n. MDCXLVI Lutetiae Parisiorum publicata. Leguntur ibi in margine haec verba: 'Haec dispositio civilis provinciarum et civitatum orientalis ex eodem vetere codice Vaticano

1) Cfr. librum qui inscribitur: '*Ἱεροσολυμιτικὴ βιβλιοθήκη*' quem in Petropoli urbe edidit anno post Chr. n. MDCCCXCI *Α. Παπαδόπουλος—Κεραμεύς*.

manuscripto editis ac quae antecedunt: '*Τάξις προκαθέδρας πατριαρχῶν*' et '*Ἀνακεφαλαίωσις τῶν ἐγνωσμένων μητροπολιτῶν*' 'Hierocli non leviter tribuitur'. Cum inter viros doctos constet, Lucam Holstenium notas et additiones ad Caroli a Sancto Paulo geographiam sacram dedisse[1], cum quadam probabilitatis specie conicere licet, ea verba quae modo attuli non editoris esse, id est Caroli a Sancto Paulo, sed ex Holstenii notis repetita esse. Mirum tamen est, quod sacrae geographiae editor Holstenii nomen praeteriit. Inveniuntur Holstenii ad geographiam sacram notae in ea tantum editione quam post Caroli a Sancto Paulo mortem curavit Sansonius anno post Chr. n. MDCCIV. Quae si recte a me disputata sunt, sequitur, iam ante Petrum Wesselingium Lucam Holstenium animadvertisse, Hieroclis synecdemum non ecclesiasticam sed civilem provinciarum esse descriptionem, atque eundem primum Hierocli opusculum adiudicasse. Unde Wesselingii fama non minuitur, qui primus certis probabilibusque argumentis rem ita se habere demonstravit. Codex ille quo contextus geographiae sacrae nititur, est codex Vaticanus CLXII a me supra descriptus.

Lucas Holstenius ipse Hieroclis editionem parare in animo habebat atque iam synecdemum e codice Vaticano exscripserat, ex Altempsiano correxerat, e Farnesino suppleverat, sed morte praepeditus omnia in bybliotheca Barberiniana inedita reliquit. Emmanuel Schelstratenus autem anno post Chr. n. MDCXCVII schedas Holstenianas in lucem protulit in libro qui inscribitur: 'Antiquitas ecclesiae'. Praeter schedas Holstenianas aliis libris manuscriptis Schelstratenus non usus est. Iam cum Holstenius apparatum criticum non ea quam nos poscimus accurata diligentia confecisset, cumque saepenumero omittens ea adnotare

---

1) Cfr. Joecheri libri qui inscribitur: 'Allgemeines Gelehrtenlexicon' tom. II pag. 1677 atque tom. III. pag. 1819.

quae in libris scripta sunt, emendationes suas contextui inseruisset, magnam fidem huic editioni non habendam esse in aperto est; et tamen ex ea omnes sequentes editiones pendent. Per errorem in Schelstrateni editione quae v. 715. 6—716. 4 continentur urbium nomina bis exscripta e libro Farnesino inveniuntur. Qua re adductus, duos codices 'Farnesianos' Lucam Holstenium ad adornandam suam editionem adhibuisse commemorat Wesselingius.

Summis laudibus celebranda est editio a Petro Wesselingio anno post Chr. n. MDCCXXXV in lucem prolata, quippe qui doctissimo et bonae frugis pleno commentario Hieroclis opusculum praeclare illustraverit. Verum ad rem criticam promovendam haud multum contulit. Codex enim Leidensis quo ad castigandum synecdemum usus est, recentissimus vilisque pretii est. Immanuel Bekker tertio Constantini Porphyrogenneti volumini synecdemi editionem a Wesselingio factam, hic illic mutatam, adiecit, Bonnae anno post Chr. n. MDCCCXL.

Editiones eorum virorum qui, codicibus non adhibitis, Holstenii vel Wesselingii contextum typis exscripserunt, velut eas quas Anselmus Bandurius, Fortia d'Urban in libro qui inscribitur: 'Recueil des itinéraires', Theophilus Tafel, Migne in patrologiae graecae tomo CXIII protulerunt, facile praetermittemus.

Novissimam editionem Gustavo Parthey debemus, qui primus codices Taurinensem et Bruxellensem atque Barberiniani codicis fragmentum adhibuit. Parthey cum ad constituenda Hieroclis verba Taurinensis codicis modo exemplum, modo Barberiniani fragmenti lectiones, quas nullius momenti esse iam demonstrabo, modo Holstenii Wesselingiique emendationes secutus esset, haud magni aestimandum esse quem dedit synecdemi contextum perspicuum est. Tamen in apparatu critico eorum quos primus adhibuit codicum priorumque editionum adnotavit lectiones.

Liber olim inscriptus fuisse videtur: '*Ἱεροκλέους συνέκδημος*', quae verba etiamnunc leguntur in codicibus Taurinensi ac Farnesino. In reliquis vero libris omnino inscriptio omittitur; incipiunt verbis: '*Εἰσὶν αἱ πᾶσαι ἐπαρχίαι κ. τ. λ.*' Unde concludere licet, antiquis iam temporibus in codice archetypo, ex quo maior librorum pars descripta est, nomen auctoris inscriptionemque defuisse. Certe in apographo Barberiniano commentatio inscribitur: '*Ἱεροκλέους γραμματικοῦ συνέκδημος*'; verum haec verba non genuina, sed e coniectura a viro docto addita sunt, qui Constantini imperatoris Porphyrogenneti verba respexit, libri alterius de thematibus initio ita scribentis: '*Μαρτυρεῖ δὲ τῷ λόγῳ καὶ Ἱεροκλῆς ὁ γραμματικὸς ὁ γράψας τὸν συνέκδημον ...... λέγων οὕτως· εἰσὶν αἱ πᾶσαι ἐπαρχίαι κ. τ. λ.*' (v. p. IX). Praeter Constantinum nullus auctorum Hieroclis meminit, ita ut de vita operibusque eius prorsus nihil sciamus nisi quod sagaciter Wesselingius iam probavit, Iustiniano imperante floruisse Hieroclem synecdemumque scripsisse ante annum post Chr. n. DXXXV.

Iam vero ad Hieroclis libros manuscriptos recte aestimandos duo potissimum codicum genera distinguenda nobis sunt, alterum integrum, alterum mutilum. Prioris generis sunt quattuor libri: Taurinensis, Farnesinus, Bruxellensis, Leidensis, qui omnia Hieroclis verba a v. 631. 3: '*Εἰσὶν αἱ πᾶσαι ἐπαρχίαι κ. τ. λ.*' usque ad v. 734. 4: '*Ἀμμωνιακή*' exhibent. Differunt vero eis verbis quae in fine adiciunt. Taurinensis enim et Farnesinus appendicis vice v. 734. 6—16 occidentalium provinciarum brevem indiculum addunt, quem omittunt Bruxellensis et Leidensis, qui vero v. 734. 5 haec habent: '*Τέλος τοῦ καταλόγου πασῶν τῶν ἐπαρχιῶν καὶ πόλεων τῶν ὑπὸ τοῦ βασιλέως τῶν Ῥωμαίων τοῦ ἐν Κωνσταντινουπόλει διοικουμένων*'.

De tempore quo conscripta sit illa appendix quae exstat in codicibus T ac F, haec coniciam: cum

Iustiniano imperatore, paucis annis post Hieroclem editum, Italiam, Africam, partem Hispaniae iterum Romano imperio adiunctam esse inter omnes notum sit, fieri potuit, ut iam VI post Chr. n. saeculo appendix illa synecdemo adiceretur. Alia enim probabiliorque causa excogitari nequit, praesertim quia saeculis VI et VII illae provinciae imperio Romano denuo ademptae sunt. Verum hanc meam sententiam dubitans tantum propono, cum aliquid certi constituere non liceat.

Quae verba H et L codices ad calcem opusculi v. 734. 5 addunt, spuria esse iudico. Desunt enim, ut iam supra commemoravi, in Taurinensi et Farnesino, libris vetustissimis. Dein versibus 631. 3 et 734. 5 una positis, facile intelleges, alterum ex altero descriptum contextuique a librario insertum esse:

v. 631. 3.	v. 734. 5.
Εἰσὶν αἱ πᾶσαι ἐπαρχίαι καὶ πόλεις αἱ ὑπὸ τὸν βασιλέα τῶν Ῥωμαίων διοικούμεναι τὸν ἐν Κωνσταντινουπόλει, ἐπαρχίαι ξδ, πόλεις ϡλε, ὡς ὑποτέτακται’.	*Τέλος τοῦ καταλόγου πασῶν τῶν ἐπαρχιῶν καὶ πόλεων τῶν ὑπὸ τοῦ βασιλέως τῶν Ῥωμαίων τοῦ ἐν Κωνσταντινουπόλει διοικουμένων’.*

Verba igitur ea eicienda sunt e Hieroclis contextu. Alia est ratio appendicis quam T et F libri praebent. Quamvis enim ille occidentalium provinciarum index genuinis Hieroclis verbis adnumerandus non sit, tamen minime contemnendus est. Est additamentum docti cuiusdam viri, qui eum ex ordine provinciarum Diocletiani Theodosiique imperatorum aetate instituto desumptum Hieroclis operi inseruit.

Alterum genus eos continet codices qui mutilum quattuordecim postremis provinciis praebent synecdemum. Huc longe plurimi libri pertinent: Cois-

linianus, Ottobonianus, Monacensis, Vaticanus, Parisinus, Berolinensis. Eiusdem generis est fragmentum Barberinianum, recenti demum tempore e codice Vaticano descriptum. Nam quibus lectionibus cum libro Vaticano discrepat, viri docti inventis debentur, ut mox videbimus. Non neglegentia scriptoris vel casu periisse quae desiderantur provinciae in eorum qui mutili sunt codicum archetypo suspicor, sed X saeculi fuisse librum atque qui eum conscripsit consulto omisisse provincias quae tum subditae non erant imperio Romano existimo.

Sed iam quae singulorum librorum inter se sit ratio accuratius exponemus atque primum de integro codicum genere disputabimus. Manifestum est, libros Bruxellensem et Leidensem intimo necessitudinis vinculo inter se esse coniunctos, atque me probaturum esse spero, codicem Leidensem excriptum esse e Bruxellensi. Argumenta haec sunt: quae verba in libro Bruxellensi per compendia scripta sunt, ea aut plene scripta inveniuntur in libro Leidensi, aut ubi notas non intellexit vel de explicatione dubitavit librarius, servili modo compendia Bruxellensis libri imitatus est. Numquam vero quae plene in Bruxellensi libro scripta sunt, in Leidensi compendio notata invenies. Accedit aliud argumentum: ea verba quae Bruxellensis libri scriptor a se per errorem scripta esse animadvertit, correxit emendatione vel inter lineas vel ad marginem adscripta. Leidensis vero librarius utraque verba, et quae primo posuit qui conscripsit Bruxellensem librum scriptor, et quae postea correxit, versu continuo scribere solet. Nonnulla afferam exempla:

v. 640. 2 liber Bruxellensis habet: *ἀμφίποσ* et in margine: *γϱ͂′ πόλισ.* Leidensis vero: *ἀμφίποσ. ἀμφίπολισ.*

v. 696. 6 H: *ταβια* (*υ* suprascr.). L: *ταβία. ταβύα.*

similiter v. 713. 12 H: *ϱοσϱωινῆσ* (*κ* suprascr.). L: *ϱοσϱωινῆσ. κοσϱωινῆσ.*

Iam tertium afferam argumentum: saepissime inveniuntur in codice L menda e neglegentia scriptoris orta, quae tamen, si codicis H rationem habemus, facili negotio explicantur, velut v. 635. 5. H habet: *βερόν. βερόη*, L vero: *βερόη. βερόη.*

Atque v. 734. 5 L: *τέλοσ τοῦ καταλόγου* .... *ἐν κωνσταντινουπόλει ʃ διοικουμένων.* Quid haec nota nomini *κωνσταντινουπόλει* adscripta significet omnino non intellegimus; sed omnia clara fiunt, si codicem H inspicimus. Hic enim iam post nomen *ἀμμωνιακή* (v. 734. 4) positum est signum illud; atque summo iure, quia ultima urbs est synecdemi.

Quibus exemplis allatis facile intelleges, codicem Leidensem descriptum esse e Bruxellensi. Unus obstat locus, v. 732. 7, ubi liber H nomen urbis Omborum in *ὄμβροι*, L in *ὄμφροι* corrupit. *ὄμφροι* vero, forma prorsus inaudita, error scribentis, id est Vulcanii, esse videtur. Quae cum ita sint, codicem Leidensem nullius momenti ad Hieroclis verba constituenda esse censeo.

Iam transeamus ad codices Taurinensem et Farnesinum, quos ex eodem archetypo descriptos esse facili negotio invenies; nam, ut iam supra commemoravi, uterque codex eandem atque rectam, mea quidem sententia, praebet inscriptionem: *ἱεροκλέουσ συνέκδημοσ.* In utroque deinde codice desiderantur verba subditicia: *τέλοσ τοῦ καταλόγου* usque ad *διοικουμένων* (v. 734. 5), adiciuntur vero occidentis provinciae. Haud ita raro ambo libri inter se conspirant et cum ceteris discrepant, velut v. 646. 3: *κύτνοσ* T F, *κύδνοσ* H; omiserunt reliqui codices versum.

v. 655. 5: *καστραμάρτησ* T F, *καστραμάρτισ* vel *καστραμάρτυσ* reliqui.

v. 731. 5: *πάννοσ* T F, *πανόσ* H.

v. 733. 5: *παρατόνιον* T F, *παραιτώνιον* H.

Neque tamen liber Farnesinus e Taurinensi exscriptus est. Accentuum differentias praetermitto; Tau-

rinensis enim libri prima manus saepenumero accentus neglexit, secunda vero in addendis accentibus plerumque errores commisit. Aliud gravius est; nam nomina a Farnesino tradita persaepe discrepant cum eis quae Taurinensis exhibet liber. Quae variae Farnesini codicis lectiones non e scribae errore aut arbitrio ortae esse videntur; eaedem enim in reliquis quoque codicibus inveniuntur, velut:

Taurinensis.			Farnesinus.
v. 635.	5.	βερόη.	βερόν.
v. 639.	2.	ἀντανία.	ἀνταγνία.
v. 644.	10.	ἄδεψοσ.	ἐκεψοσ.
v. 445.	5.	τάναγρα.	πάναγρα.
v. 647.	6.	ϑάλπουσα.	ϑάρπουσα.
v. 648.	2.	ἧλισ μητρόπολισ ἀρκαδίασ.	ἧλισ μητρόπολισ αἰτωλίασ.
—	4.	αἴγιον μητρόπολισ αἰτωλίασ.	desiderantur ea verba.
v. 732.	7.	ὄμβοι.	ὄμβροι.
v. 733.	3.	βερονίκη.	ρεβονίκη.

Exstant denique in codice Farnesino versus 637. 9—12 et 659. 13—729. 2, quae omittuntur a codicis Taurinensis librario. Etiam in appendice, v. 734. 11, habet T: *βρισγανῶν*, F vero: *βρισγάμων*.

Iam ad alterum codicum genus transeamus, atque primum de ratione quae inter Monacensem et Vaticanum libros intercedat nobis agendum erit. Hi enim libri summa inter se necessitudine coniuncti sunt. Nonnullis locis eadem praebent verba a ceterorum librorum consensu discrepantia, velut v. 642. 11 *καὶ παρεία* exhibent; reliqui: *καισάρεια*. Eodem modo vox *ἤτουν* vel *ἤτοι*, quam reliqui libri v. 643. 6 inter verba *ἑλλάδοσ* et *ἀχαίασ* ponunt, et *ἤτοι* vocabulum, quo v. 651. 1 nomina *φοινίκη* et *ἀραδένα* copulantur, ab utroque libro praetermittuntur.

v. 684. 15 praebent *δίδυμα* pro *σίδυμα.*

v. 713. 12 denique *ῥοσρώικεν* scribunt M V, ceteris libris *ῥοσρωικῆσ* vel *ῥοσρωικίνησ* praebentibus pro *ὀσρωηνῆσ.*

Quibus exemplis allatis satis demonstrasse mihi videor, artissimum inter utrumque librum necessitudinis esse vinculum. Iam vero Vaticanum librum descriptum esse e libro Monacensi ostendere conabor. Atque quod iam de Bruxellensi Leidensique libris disputantes animadvertimus, id pari quoque modo hic observare nobis licet. Quae enim nomina in codice Monacensi compendiis notata exstant, ea plerumque plene scripta in codice Vaticano inveniuntur.

Nonnumquam in libro Monacensi verbum quod prima manus scripserat correctum a secunda manu videmus, Vaticanus autem nomen emendatum catalogo inscripsit, velut

v. 645. 4 M: *βοιτφάσ* (*ι* ex *ο* correctum), V: *βοιτίασ.*

v. 683. 6 M: *λύμυρα* (superscr. *ϊ*), V: *λίμυρα.*

v. 686. 11 M: *τένοσ* (littera *ε* emendata est ex *η*), V: *τένοσ.*

v. 710. 5 M: *μωλῶ* (superscr. Η′) (*ω* et *η* litterae in rasura scriptae sunt), pariterque V: *μωλω*Η′.

Magnum momentum ad rem diiudicandam afferunt v. 690. 4 et sequentes, in quibus provinciae Ponticae primae enumerantur urbes. Reliquorum librorum ordo hic est: *χαλκηδών. ἑλενόπολισ. πρίνετοσ. νικομήδεια. νίκαια.*[1]) Quem ordinem etiam librarius codicis Monacensis sequi voluit, sed per imprudentiam urbes *πρίνετοσ. νικομήδεια* omisit, ita scribens: *χαλκηδών. ἑλε-*

1) Constantinus hunc habet ordinem: *νικομήδειαν. ἑλενούπολιν. πραίνετον.* Sed cum addat *ἀστακόν* et *παρθενούπολιν* contra librorum consensum, ad constituendum Hieroclis contextum adhibendus non est.

νόπολισ. νικαῖα. Postea vero, errore perspecto, nomini *ἐλευόπολισ* signum ⸓ adiecit et margini inferiori urbes *πρίνετοσ. νικομήδεια* inscripsit. Vaticanus vero liber solus hoc ordine urbes enumerat: *χαλκηδῶν. πρίνετοσ. νικομήδεια. ἐλευόπολισ. νικαῖα.* Librarius enim Monacensem librum describens nomina margini inscripta falso ante urbem *ἐλευόπολισ* posuit, cum e mente correctoris Monacensis post eam urbem collocanda essent. Qui locus mihi pro certo comprobare videtur, pendere librum Vaticanum e Monacensi.

Huic sententiae non obstat, quod haud paucis locis V libri verba cum eis quae in M leguntur discrepant. Meo enim iudicio menda sunt e neglegentia librarii orta, velut v. 632. 1 omittitur nomen urbis *εὐδοξιούπολισ.* v. 643. 3} 4} deinde ordinem aliorum librorum (*νῆσοσ σκίαθοσ. νῆσοσ σκέπολα.*) immutat scribens *νῆσοσ σκέπολα. νῆσοσ σκίαθοσ.*

Haud raro litterarum quoque ordo iniuria invertitur, velut

v. 682. 11: *ὀλύβαρσοσ* pro *ὀλύβρασοσ.*

v. 683. 7: *ἀρύκναδα* pro *ἀρύκανδα.*

Nonnumquam nomina littera omissa vel addita detorquentur. Ita v. 646. 9: *αἴγηαι* pro *αἴγηραι.*

v. 650. 9: *ἐλευθέρα* pro *ἐλευθέρνα.*

v. 668. 11: *θεοδοσια* pro *θεοδοσιανά.*

v. 671. 5: *ἱεροκαστέλλει* pro *ἱεροκαστελλεια* scribit.

Contrarium vitium occurit v. 664. 6: *ἐπαρχία φρυγίασ καὶ πατιανῆσ* enim scribit pro *φρυγίασ καπατιανῆσ.*

v. 680. 6: *βερβίη* pro *βέρβη.*

v. 684. 10: *πάταρασ* pro *πάταρα.*

Quae cum omnia aperta librarii menda sint, non dubito quinque aliis locis, quibus V discrepat cum M, varias V libri lectiones eidem scriptoris socordiae tribuere; sunt vero hi:

v. 642. 9: *τρόκαι* exhibet pro *τρίκαι.*

v. 647. 1: *ἀρυζαίνα* pro *τρυζαίνα*.
v. 655. 3: *βηνοπία* pro *βονοπία*.
— 6: *ιδαοσ* pro *ἴσκόσ*.
v. 675. 10: *βαρατή* pro *βάρατα*.

Restat ut disputemus de versibus 660.1, 677.4, 687.6.

v. 660. 1 codex Vaticanus habet *κολοσή*, cum in Monacensi legatur *κολοαι*$^{\text{σίσ}}$.

v. 677. 4 M praebet *πολιτικ*$^{\text{ή}}$, V autem *πολε*$^{\text{μή}}$.

v. 687. 6. M: *ἀστυπαλία*, V: *ἀστυπαλαία*.

Quae discrepantiae nos non cogunt, ut Vaticanum alio fonte atque Monacensi libro usum esse statuamus; sed facile ita explicari possunt, ut nomina *κολοσή*, *πολεμή*, *ἀστυπαλαία* pro emendationibus eius qui librum scripsit habeamus.

Quae cum ita sint, Vaticanum e Monacensi libro ab homine haud indocto exscriptum esse censeo.

Iam nobis de Barberiniani codicis fragmento disputandum est. Qui liber XVII demum saeculo conscriptus Hieroclis codicibus adnumerandus non est. Rectissimas enim optimasque saepe praebet lectiones, quae tamen libris scriptis non debentur, sed emendationes sunt quibus Lucas Holstenius codicis Vaticani contextum castigavit. Corrigendo autem Vaticano codici Farnesinum atque Ottobonianum adhibuit codices. Nonnumquam vero e Constantino et Ptolemaeo, rarius e Strabone, Stephano Byzantio verba libri Vaticani emendavit. Nonnulla afferam exempla:

Unus hic liber v. 631. 3 vocem *διοικούμεναι* post *ῥωμαίων* positam omisit, quippe quae prorsus supervacanea sit.

v. 632. 1 addit urbem *εὐδοξιούπολισ* e libris Farnesino et Ottoboniano.

v. 632. 5 nomen *πανόνιον* Constantini testimonio nisus in *πάνιον* emendavit.

v. 634. 1 e Ptolemaei geographiae libro III. c. 11. 8 *ἀφροδισία* in *ἀφροδισιάσ* correxit.

v. 635. 12 *δέβελτοσ* pro *διβέρτιοσ* scripsit (secundum Constantinum).

v. 639. 4 *δόβηροσ* pro *διόβορος* (secundum Ptol. III. 12. 25).

v. 639. 6 *βράγυλοσ* pro *δράγυλοσ* (secundum codicem Farnesinum et Constantinum).

v. 640. 6 *βέργη* pro *βέρπη* (secundum Ptol. III. 12. 28, ubi exstat *βέργα*).

v. 641. 2 *στόβοι* pro *στόλοι* (secundum Ptol. III. 12. 31).

v. 642. 5 *ἐχίναιον* pro *αἰχιονίο* (Constantin.: *ἐχιναιόσ*).

v. 643. 5 *νῆσοσ πεπάρηθοσ* pro *νησοπέπα. ρίσθησ* (secundum Thucydidem III. 89 et Stephanum Byzantium).

v. 643. 8 *ἐλάτεια* pro *ἠλατίνα* (secundum Stephanum Byzantium).

Plurimis vero locis apographum Barberinianum prorsus convenit cum libro Vaticano, quo quasi fundamento uti ad editionem suam parandam Holstenius in animo habuit, ut iam supra commemoravi. Quibus causis adductus pro explorato habeo, Barberinianum apographum non amplius Hieroclis codicibus adnumerandum esse.

Transeuntes deinde ad codices Ottobonianum et Berolinensem iam videbimus, eos quoque intimo necessitudinis vinculo inter se esse coniunctos; nam permultis locis easdem praebent lectiones, discrepantibus reliquis omnibus codicibus, velut quae exstant in v. 634. 2: *ἄπρωσ* pro *ἄπροσ*.

v. 634. 9: *ῥούσιον* tantum praebent omittuntque *τόπιροσ νῦν*.

v. 641. 4: *εὐστράτιον*, reliqui *εὐστράιον*.

v. 644. 7: *στῆραι* pro reliquorum *στῆραισ* vel *στίραισ*.

v. 644. 12: *ἀνθοδώνη*, reliqui omnes *ἀνθοδ*ω/.

v. 646. 2 et 3: omiserunt versus.

v. 646. 5: *σκίρροσ* habent pro *σκύροσ* vel *σκῦροσ* ut reliqui.

Post 7 addunt in margine glossema: *κόρινθοσ ἀπὸ κορίνθου τοῦ μαραθῶνοσ ἢ ἀπὸ κορίνθου τοῦ πέλοποσ*. In eodem versu eidem tantum codices *ἔφοροσ* praebent lectionem pro *ἔφυροσ* vel *ἔφυρα*.

v. 650. 7: praetermiserunt versum.

— 8: *ἄξοσ* exstat in utroque codice pro *ὀάξιοσ* vel *ὁ ἄξιοσ*.

v. 652. 7: *ἰθάκη νῆσοσ* pro *ἡ θρακῆ νῆσοσ*.

v. 656. 4: *σκόρδαι* pro *σκόδραι*.

v. 677. 3: *κλῆροσ δρίνοσ* pro *δρίνησ*.

v. 679. 1: *πόλεισ* $\overline{μγ}$ pro $\overline{μζ}$.

v. 689. 8: *χώπατρισμονία* pro *χωρία* vel *χώρα πατριμόνια*.

v. 692. 2: *βασινείλου πόλισ* pro *βασιλείνου πόλισ* vel *βασιλεινούπολισ*.

v. 705. 2: *ἀνάζαρβα* pro *ἀνάζαρβοσ*.

Addi hic postet v. 646. 6; quo in versu O *ταλαμήνη: θερμοπύλαι* praebet lectionem pro *ταλαμίνη μέχρι, μετὰ* vel tantum *μέ θερμοπύλων* ut reliqui; B vero *ταλαμίνη. θερμοπύλαι*.

Quae cum ita sint, iam ostendere conabor, descriptum esse ex Ottoboniano libro librum Berolinensem. Perpaucis quidem locis accidit, quod quae falso prius scripserat Ottoboniani codicis librarius atque postea emendavit, ea emendata catalogo inscripsit qui Berolinensem composuit librum. Quos autem versus cum haud minoris momenti esse putem ad rem diiudicandam, hic afferam:

v. 662. 12: *ποιμάνεντ*$\overset{οσ}{ον}$ O, *ποιμανέντονοσ* B.

v. 707. 7: $\overset{η}{τ}$*ριμηθούντων* O, *τριήμηθούντων* B.

v. 709. 3 vero, quo in v. ex *ἀντιοχία* emendavit *ἀντιόχεια* O, *ἀντιοχία* tamen praebet codex B; reliqui omnes *ἀντιόχεια* vel *ἀντιοχεῖα*, qua ex re intelleges, hunc non obstare versum.

Hisce deinde duobus versibus servili modo compendia Ottoboniani libri imitatus est qui conscripsit Berolinensem librum:

v. 638. 4: εὔ^{ω}ριποσ.

v. 651. 5: δωδῶναι^{η}.

Nonnullis locis, quorum tamen numerus non ita magnus esse videtur, differunt inter se codices O et B. Saepissime enim errores atque menda e neglegentia librarii orta sunt, qui falso litteras et addidit et praetermisit, accentus falso posuit et litteras commutavit, linguae graecae qui tum viguit itacismo adductus. Notandum id quoque est, formas prorsus inauditas haud raro esse quas legimus in codice B et quae inveniuntur in nullo reliquorum. Haec afferam exempla:

Ottobonianus.	Berolinensis.
v. 636. 8: ἔβρετοσ.	ἄπρετοσ.
v. 637. 13: νοβιοδοῦνοσ.	νοβιουδοῦνοσ.
v. 641. 9: ζάπαρα.	ζάπαλα.
v. 643. 5: νῆσοσ πε^{παν}: ῥίσθοσ.	νῆσοσ πετα. ῥίσθοσ.
v. 647. 9: γερένθραι.	γερέθραι.
v. 648. 9: νῆσοσ μυκῶν.	νῆσοσ μηκῶν.
v. 654. 7: ῥεμεσιανά.	ῥεμασιανά.
v. 655. 7: ἐπαρχία δαρδανίασ.	ἐπαρχία δαρνίασ.
v. 657. 6: ὀρθεμάρχοσ.	ὀρθεμάχοσ.
v. 662. 10: σκάμανδρος.	σκάμανδοσ.
v. 666. 2: κερετάπα.	κερατάπα.
v. 676. 1: κόρνα.	κόννα.
v. 678. 7: πρυπνίασα.	παρυπνίασα.
v. 685. 5: βαλοῦρα.	βαροῦλα.
v. 687. 11: ἀμυνδόσ.	ἀμβυδόσ.
v. 695. 2: κρατία.	κραπία.
v. 701. 1: ῥεγεκουκουσόσ.	ῥεγεκοκκουσόσ.
v. 702. 5: κόμανα.	κόμαννα.
v. 703. 10: κουκουσόσ.	κουκουσσόσ.

v. 710. 5: *μολώη*.	*μωλών*.
v. 713. 3: *δολίχη*.	*δολίσχη*.
v. 714. 5: *βάτναι*.	*βάτνασ*.

Versus praetermisit Berolinensis codicis librarius qui tamen exstant in codice O 638. 11 — eundem omittunt T F C P H — et 660. 4. Ad v. 647. 2 addidit glossema: *τὸ καστρὶ*; in contextu vero scripsit *πιλαύριά*. Nonnullae aliae obstant libri B lectiones quae et discrepant cum Ottobonianis et conspirant cum reliquis: hi vero sunt versus: v. 663. 12 *μανδακάνδα* O, B vero *μανδακάδα* atque itidem Monacensis.

v. 669. 5 *θυάτειρα* O, *θυάτερα* B atque Farnesinus et Bruxellensis.

v. 673. $\left.\begin{matrix}2\\3\end{matrix}\right\}$ *τίμανδοσ μητρόπολισ* O, *τίμανδροσ* B, *τύμανδροσ μητρόπολισ* Monacensis.

Quamquam non ignoro, haud parvi esse aestimanda quae modo attuli exempla, tamen eorum quoque partem mendis e neglegentia codicis Berolinensis librarii ortis adnumeranda esse censeo — pariter quae exstant in v. 695. 4: *ὑπὸ ἡγεμόνα* pro *ὑπὸ κορίκτορα* —, partem emendandi studio tribuo. Quae cum ita sint, iam exscriptum esse codicem Berolinensem e codice Ottoboniano satis demonstrasse mihi videor.

Duo restant codices de quibus nunc mihi disputandum est; sunt codices Coislinianus et Parisinus suppl. graec., qui quamvis inter se simillimi sint, tamen neuter ex altero pendet. Atque liber Coislinianus Monacensi et Ottoboniano codicibus propinquior, Parisinus vero paullo remotior est. Nonnullis enim locis eadem praebet quae prioris generis libri exhibent; saepius vero cum tribus quos modo dixi libris prorsus conspirat. Atque primum exempla earum afferam lectionum quas tres illi libri habent, discrepante codice Parisino qui cum prioris generis codicibus facit:

v. 637. 8: *τρόπαιοσ* pro *τρόπεοσ*.
v. 639. 6: *δράγυλοσ* vel *δράγιλοσ* (velut O) pro *βράγυλοσ*.
v. 643. 1: *σαρτοβουραμίσιον* pro *σαλτοβουραμίσιον*.
v. 649. 3: *ὑπὸ ἡγεμόνα* pro *ὑπὸ κονσιλάριον*.
v. 661. 8: *τιάναι* pro *τιάραι*.
— 11: *ἄταδροσ* pro *ἄτανδροσ*.
v. 675. 7: *λίστρα* vel *λύστρα* (velut O) *προ ἰλίστρα*.
— 8: *λάρανδα* pro *λάρανδρα*.
v. 687. 8: *μήλιτοσ* pro *μίλητοσ*.
v. 694. 5: *πρασίασ* vel *πρασιάσ* (velut O) pro *προυσίασ*.
v. 703. 11: *κομόνα* pro *κομάνα*.
v. 706. 7: *ἀμαθουσία* pro *ἀμαθοῦσ*. Saepissime quoque *κονσιλάριον* praebent ubi *κονσουλάριον* reliqui.

Iam vero eos exhibebo locos quibus et Parisinus liber convenit cum tribus modo allatis codicibus, discrepat vero cum reliquis Hierodis libris:
v. 635. 8 omittunt quattuor illi libri.
v. 646. 3 iterum omittunt.
v. 651. 4: *μητρονικόπολισ* praebent pro *μητρόπολισ νικόπολισ*.
v. 654. 6: *νάινσοσ* pro *νάισοσ*.
v. 656. 2: *οὐπιάνα* pro *οὐλπιάνα*.
v. 688. 11: praetermittunt *ἀλαβοκόνοσ* post *ἡρακλείασ*.
v. 695. 6: *πομπιούπολισ* pro *πομπηιούπολισ* habent.

Ceteros libros vestustate superat codex Coislinianus, e quo tamen neque Monacensem neque Ottobonianum pendere certum est. Versus enim 638. 11, quem uterque liber exhibet, desideratur in libro Coisliniano. Simili modo Ottobonianus liber aetate paullo antecedit Monacensem; quem ne forte ex illo descriptum censeas, sufficit v. 650. 7 attulisse, qui omissus in codice Ottoboniano exstat in Monacensi.

Id vero addi potest, libros Coislinianum et Ottobonianum nonnumquam convenire cum Parisino, discrepante libro Monacensi, velut:

Coislinianus, Ottobonianus, Parisinus.	Monacensis.
v. 647. 2: πιλαύρα.	πιναύρα.
v. 663. 12: μανδακάνδα.	μανδακάδα.
v. 671. 2: κήρασσε.	κήρασε.
v. 673. 2: τύμανδοσ vel τίμανδος (O.) μητρόπολισ.	τύμανδροσ μητρόπολις

Sed postquam disputationem de codicibus qui adhibendi mihi sunt in adornanda Hieroclis editione ad finem perduxi, iam stemma codicum quod excogitavi liceat mihi proferre:


Archetypus.
saec. VI.
I.
Omnium qui supersunt
Hieroclis libror. archetypus.
II.
Constantinus.
saec. X.
X.
liber integer.
Y.
liber mutilus.
X saec. conscriptus.
X'.
l. integer cui annexa
est appendix provinc.
occidentalium.
Y'.
l. integer cui annexa
est appendix τέλος—
διοικουμένων.
Z'.
Taurinensis.
saec. XII.
Farnesinus.
saec. XII—XIII.
Coislinianus.
saec. XIII.
Ottobonianus.
saec. XIII—XIV.
Parisinus.
saec. XIV.
Monacensis.
saec. XIV.
Vaticanus.
saec. XIV.
Bruxellensis.
saec. XVI.
Berolinensis.
saec. XVI.
Leidensis.
saec. XVI—XVII.
Barberiniani fragm.
saec. XVII.

Absoluta de Hieroclis codicibus disputatione, iam ad libros de thematibus Constantini Porphyrogenneti transeamus. Codices adhibui hosce:

I. cod. Parisinum DCCCLIV (Mediceum reg. MMCCCCXXXI, olim MLXVII), (A), saeculi XIII, chartac. (bombycin.), in octavo, foliorum 422. Exhibet Constantini imperatoris Porphyrogenneti de thematibus libros duo a fol. 105^r usque ad fol. 120^r. Eodem codice Federicus Morellus usus est, qui primus utrumque thematum librum edidit Lutetiae Parisiorum anno post Chr. n. MDCIX, eundemque adhibuit Bandurius ad librum suum adornandum quem conscripsit de imperio orientali, Lutetiae Parisiorum anno post Chr. n. MDCCXI. Ipse Parisios profectus libri eos locos qui Hieroclis excerpta exhibent excussi.

II. codicem Leidensem (L) quem iam supra descripsi, librum primum Constantini a folio 1^r usque ad fol. 18^r, librum alterum a fol. 28^v usque ad fol. 34^r exhibentem. Lugdunum Batavorum profectus eas libri partes quae ad Hieroclis synecdemum spectant exscripsi.

Quo libro usus Bonaventura Vulcanius editionem principem libri primi de thematibus anno post Chr. n. MDLXXXVIII confecit. Descriptus esse videtur ille liber e codice quodam Mechlinensi, ut ipse testatur editor, cuius verba adscribam: '..... primum Mechliniae apud medicum quendam Anglum, Thomam Clementem, parum clementer habitus, multos annos in bibliothecae vel *βιβλιοπέδης* potius squallore et pulvere latuit; postea in altera miserae illius urbis direptione, *αἰχμάλωτος*, militari violentiae obnoxius, perierat nisi periisset. Nescio enim quo bono suo fato mihi tandem una cum Procopio de aedificiis Iustiniani et Agathia oblatus persolutis *λύτροις* servatus est.' Atque paullo post: 'Accipite vero vos, nobilissimi amplissimique viri, Constantinum per me Orco ereptum Lucique pariter et Latio donatum.'

Codex ille Mechlinensis ubi nunc lateat nescio. Incertum porro est, utrum ex eodem exemplari alterum de thematibus descripserit librum an ex alio. Nam in edendo primo libro verba codicis religiosissime repetivit Vulcanius, nulla medela adhibita; contra alterius libri verba in codicis margine saepe emendata inveniuntur atque, ut ego quidem suspicor, e Morelli editione de qua supra iam tractavimus. Haec vero afferam meae sententiae argumenta: persaepe enim eis quae in margine afferuntur urbium nominibus littera M praescripta invenitur, conferas v. 47. 8 (*αἱμιμόντου ἐπαρχία*), quo loco primum id nobis occurrit: 'malo Mor *Κμι*', quibus verbis certe nihil aliud nisi Morelli lectionem (*κμιμόντου*) significare voluit Vulcanius. Accedit quod omnino conveniunt eae lectiones cum Morellianis, velut:

codex Leidensis.			Morelli editio.
	a) in contextu.	b) in margine.	
v. 47. 8.	*ἐπαρχία αἱμιμόντου.*	malo Mor -*κμι.*	*ἐπαρχία -κμιμόντου.*
v. — 15. e.	*τρώωμ̃.*	M *τρώσμισ.*	*τρώσμισ.*
v. 49. 18. a.	*δεόβουρος.*	M *διό.*	*διόβουροσ.*
v. — 18. c.	*βρακίλοσ.*	M *βράγυλοσ.*	*βράγυλοσ.*
v. — 19. d.	*τόπηροσ.*	M *τόπειροσ.*	*τόπειροσ.*
v. — 20. f.	*ἄναλοσ.*	M *ἄραλοσ.*	*ἄραλοσ.*
v. 50. 8. b.	*νῆσοσ πεπάριθοσ.*	M *ρηθοσ.*	*πεπάρηθοσ.*
v. 56. 6. b.	*γέρμαοσ.*	M *γερμανόσ.*	*γερμανόσ.*

Non ubique tamen Mechlinensis codicis lectiones e Parisinis emendavit Vulcanius, nonnumquam immutatas eas reliquit, velut:

	Morelli editio.	codex Leidensis.
v. 47.	2. a. εὐδοξιούπολις.	εὐδοξία.
v. —	4. c. ἀφροδισία.	ἀφροδησία.
v. —	9. c. πλουτινόπολισ.	πλωτινόπολισ.
v. —	14. a. ἄκραι.	ἄκρασ.
v. 49.	17. d. ἀντάνια.	ἀντάνεια.
v. —	17. e. γέμινδοσ.	γέμιντοσ..
v. 50.	5. g. ἀπάτη.	εὐπάτην.
v. 52.	10. a. πάτραι.	πέτραι.

Aliis locis sua sponte emendavit Vulcanius quae falsae ei videbantur Mechlinensis codicis lectiones, velut:

v. 47. 1 ex ἀπὸ κονσιλιαρίων correxit ὑπὸ (scripsit enim in margine ἴσ^{s} (= ἴσωσ) ὑπὸ.).

v. 47. 5 (ὑπὸ τὴν αὐτήν.) scripsit in margine γρ ἡγεμόνα.

v. 47. 15. e, de quo iam supra tractavimus, bis correxit Mechlinensis verba (τρώωμ̃), primum: γρ. τρόσμισ, deinde M τρώσμισ.

v. 47. 16. b ex ἁλμυρόσ correxit γρ ἁλμῦρισ.

Iam quae ratio inter Constantini libros de thematibus Hieroclemque intercedat accuratius examinemus. Facile enim invenies, imperatorem auctoris verba licentius saepe et suo arbitratu reddidisse. Atque primum de altero thematum libro disputabimus, in quo ipsius Hieroclis quater Constantinus mentionem facit (cfr. I. pag. Bekkeri 46. 8 et 47. 17. IV. pag. 51. 1. V. pag. 52. 3). Distinguit veterem provinciarum statum, qui idem est ordo Iustinianeus ab Hierocle descriptus ('ἀρχαία τάξις' I. pag. 46. 20. 'ἐπαρχίαν' II. pag. 49. 13) et novam thematum vel praefecturarum recensionem ('νῦν εἰς θέματος τάξιν καὶ στρατηγίδος αὐτὴν καταλῆξαι' II. pag. 49. 13. — 'τὸ δὲ νῦν εἰς θέματος τάξιν χρηματίζον Θεσσαλονίκη κ. τ. λ.' IV. pag. 50. 17). In urbibus vero singularum praefecturarum recensendis

semper fere Hieroclis ordinem sequitur, velut de praefecturis Europae (I. pag. 47. 1—17), Macedoniae (II. pag. 49. 15—50. 8), Thessalonices (IV. pag. 50. 22—51. 1), Graeciae (V. pag. 51. 17—19), Peloponnesi (VI. pag. 52. 8—11), Nicopoleos (VIII. pag. 54. 16—17), Dyrrachii (IX. pag. 56. 1—10) agens. Verum non ubique presse sequitur Hieroclem. Urbes enim saepenumero vel turbato ordine enumerantur vel duarum Hieroclis provinciarum urbes in una eademque provincia (*ἐπαρχία*) Constantiniana coniunctae ac mixtae inveniuntur.

Longe aliter res in primo Constantini libro se habet. Ibi enim Hieroclis omnino nulla fit mentio. Verum et primi libri indices nonnulli desumpti sunt ex Hierocle, velut praefectura Armeniae (II. pag. 20. 19—21. 7), Buccellariorum (VI. pag. 28. 21—29. 2), Paphlagoniae (VII. pag. 30. 3—6), Cypri (XV. pag. 39. 12—16). Sed et alii exstant urbium indices, quos ab Hieroclis opere prorsus alienos esse censeo. Quorum in numero est recensio urbium sub praefecto Thracesiorum praefecturae constitutarum (III. pag. 24. 5—12). Ibi enim veterum provinciarum Asiae, Lydiae, Cariae, Phrygiae Pacatianae urbes novo omnino enumerantur ordine, qui nil commune habet cum Hierocleis indicibus, ita ut hunc urbium indicem eo demum tempore constitutum esse conicias, quo veteres provinciae in praefecturarum formam redactae sunt. Idem valet de Obsequii urbibus (IV. pag. 26. 3—7). Neque urbium in Optimatum praefectura recensitarum index ex Hierocle pendere videtur; quinque enim urbes enumerantur, quarum duae in Hieroclis libello desiderantur (V. pag. 27. 5—7). In Seleuciae praefectura Constantinus decem enumerat urbes mediterraneas (*'τὰ δὲ ἄνω Σελευκείας καὶ μεσόγαια καλεῖται Δεκάπολις'* XIII. pag. 36. 6—11); *Δομετιούπολις* et *Ζηνούπολις* hic recensitae non occurrunt in Hieroclis opusculo. Inveniuntur tamen in notitia prima, cuius altera pars civilem describit ordinem (cfr. notitiae primae versus 847 et 852). Decem

vero urbium Isauriae ordo tempore post Hieroclem demum constitutus esse videtur. Accurate denique et copiose in Cibyrraeotarum praefectura novus urbium ordo qui Constantini viguit tempore describitur (XIV. pag. 36. 19—37. 1). Ne in hoc quidem vestigia Hieroclis apparent.

